nium servi, quem manumiſit, nondum [1] ad te tranſtulerat: fruſtra petis, ut denegata libertate ejus, quem manumiſſum dicis, poſſeſſio tibi tradatur.

Non venditione hereditatis, ſed traditione rerum tranſfertur dominium. Salic. & Bald.

3. Idem A. Pompejo.

QUi tibi hereditatem vendidit, antequam [2] res hereditarias traderet [3], dominus earum perſeveravit: & ideo [4] manumittendo libertatem ſervo hereditario præſtitit. PP. 6. Kalend. Auguſt. AGRICOLA, & CLEM. CONSS. 231.

Tenens ſervum precario, non manumittit. Salic.

4. Impp. VALER. & GALLIEN. AA. Zoilo.

SI non proprietatem donaveras, ſed miniſterium [5] ancillæ dederas: libertatem mancipio dando, ea quæ precarium uſum habebat, domínio tuo nihil [6] præjudicavit. Nemo enim alienum ſervum, quamvis ut proprium manumittat, ad libertatem perducere poteſt.

5. Impp. DIOCLETIANUS, & MAXIMIANUS AA. & CC. Marcellinæ.

SI tradita ſunt ex donatione [7] mancipia, **jus manumittendi donatrix** non habuit.

Filius, qui per ſe non poteſt manumittere, nec patri poteſt conſentire. Salic.

6. Iidem AA. & CC. Milio, **& aliis.**

SI pater ſervum veſtrum [8] licet vobis minoribus **viginti** [9] annis conſentientibus manumiſit: ei libertatem præſtare non potuit.

Libertas præſtita ſervo alieno cum judicis, vel Principis decreto non præjudicat domino vero. Salic.

7. Imp. CONSTANTINUS A. ad Baſſum P. P.

SI [10] a non dominis libertas detur mancipio alieno: ſiquidem **ab his** judicibus impetrabitur, quibus dandi [11] jus eſt: fine ulla trepidatione pœnæ facilis diſſolutio eſt. Si vero jubentibus nobis, quicquam lege [12] actum eſſe doceatur, & non dominus, ut alienum mancipium manumitteretur, petiſſe [probetur]: tunc eodem, qui in conſpectu [13] noſtro libertatem monſtrabitur [a non domino] conſecutus, ei protinus, ad cujus proprietatem pertinet, reſtituto: is, qui mancipium alienum fallendo [14] Principis conſcientiam manumiſit, mancipia duo cogatur domino ejus dare, ejusdem ſexus, ætatis, atque artis, [cujus] conſtiterit eſſe manumiſſum, & alia tria [iſco] eadem ratione ſimilia. Quæ mulcta non ſemper imponitur, ſed potius conquieſcit, ſi forte manumiſſus inferentem ſibi quæſtionem ſtatus, objecta legitima præſcriptione [15] potuerit excludere: cum ſibi amiſſi mancipii damna debeat imputare [is], qui in perniciem ſuam geſta taciturnitate [16] firmavit. PP. Id. Jul. CONSTANTINO A. V. & LICINIO C. CONSS. 319.

TIT. XI.

QUI MANUMITTERE NON [17] POSSUNT, ET NE IN FRAUDEM [18] CREDITORUM MANUMITTATUR.

Creditor intelligitur etiam, cui ex ultima voluntate ad libertatem præſtandam debetur. Salic.

1. Imp. ALEXAND. A. Antiocho.

CErtum [19] jus eſt, non alias directas libertates per legem Æliam Sentiam [20], quæ ſunt in fraudem creditorum manumiſſorum [datæ] revocari [21], *niſi & conſilium* [22] *fraudis, hoc eſt animus manumittentis, & eventus damni ſuum recipere volentium ſequatur.* † Inter [23] creditores autem etiam eos numerandos eſſe, quibus fideicommiſſum debetur, olim placuit. PP. 3. Id. Novemb. MAXIMO, & ÆLIANO CONSS. 224.

Servus etiam per interpoſitam perſonam ſervum peculiarem non manumittit. Salic.

2. Idem A. Nataliano.

SErvos meos, nec per interpoſitam [24] perſonam ad libertatem perducere homines peculii ſui [25] poſſe [26], mandatis [Principum] comprehenditur.

1 *l. 3. ff. h. t.* vid. *l. 8. §. de act. empt.* 2 Vid. *l. 2. §. h. t. l. 11. §. de act. empt. l. 2. ff. de mancip. & ubi.* 3 Non venditione, ſed traditione dominium tranſfertur. *l. 20. §. de pact.* 4 *l. 18. ff. de manum.* 5 Id eſt, uſum precarium. *ff. eod.* ſolve, fructuarius inutiliter ſervum manumittit. *l. 9. ſupr. de uſufruct. & e contra.* 6 *l. 5. ff. pro donat.* 7 Et quidem caſtrenſia. 8 Hic ratio dubitandi ſumitur ex lege Ælia Sentia. vid. 48. *Eclog. t. c. 16.* 9 *l. un. C. Th.* 10 Manumiſſionem apud judicem factam a non domino revocare verus dominus poteſt: nulla pœna mutando eo qui manumiſit, *ut hic in princ.* Quid ſi apud Principem quis alienum ſervum manumiſit? ſervum ita manumiſſum verus dominus in ſervitutem poteſt retrahere: ſed & qui ita manumiſit, vero domino duo alia mancipia præſtare cogitur, ætate, ſexu, indole atque arte ſimilia: eoque amplius fiſco tria, eadem ratione ſimilia, *Syn. Baſil.* 48. *tit.* 25. *c.* 7. 11 Vid. *l. ult. §. de vindict. libert.* 12 Hinc legis actio, 13 Principis conſpectus delictum auget. *l. 16. §. 6. ff. de pœnis.* 14 Decretum obreptitium non valet. 15 Obreptitia manumiſſio præſcribi poteſt. 16 Redimendi jus præſcribi poſſe hinc colligunt. vid. Rolandum a Valle 1. *Conſil.* 21. *num.* 8.

17 Dixi ad *l.* 40. *D. 9. L. 1. Inſtit. 6.* 18 *§. 3. Inſtit. quibus ex cauſ. manumitt.* 19 Libertates in fraudem creditorum datæ revocantur. *Syn. Baſil.* 48. *tit.* 26. ex *tit.* 7. *c.* 34. 20 Vid. Cujac. 8. *obſ.* 25. 21 Ipſo jure. 22 *l. 23. ff. qui & a quib. manumiſſ.* 23 *l.* 27. *verſic. ex omni. ff. qui & a quib. manumiſſ.* 24 Puta imaginarium emptorem, *l. 13. ff. de jure patr.* 25 i. e. Vicarios ſuos. 26 Quamvis eorum quaſi domini ſint. *l. 17. ff. de pecul.* Videbatur etiam hoc quaſi præcipuum concedi ſervis principum, ut de peculio teſtarentur. Iisdem Leo *Nov.* 38. dedit teſtamenti factionem. 27 Idem D. Adriano placuit: Namque is rogante populo, ut quendam **αὐτεπαγγέλτως** manumitteret, per tabulam reſpondit, ſe id peti non debere, ut alienum ſervum liberaret, vel ut dominum cogeret manumittere: idque Dio ſcribit *in Adriano.* Sed hujus ita definiendæ rei primus auctor D. Marcus extitit. Suetonius *in Tiberio cap.* 27. refert, Accium coactum fuiſſe in ſpectaculo comœdum manumittere. vid. Petrum Fabr. apud Cujac. 2. *obſerv.* 22. 28 Puta magiſtratus qui populo aliquod munus edit. 29 Acclamatione, ſcil. populi. *l. 17. ſupr. de uſufruct.* ſic forte ſervus actor fabulæ placuerat. Eandem legem Atticis fuiſſe refert Æſchines contra Creſiphontem: **κρῆναι ἐλεύθερον ἐκ τῆς ὀρχήστρας.** 30 Fabulæ ſcil. hiſtrionem. 31 Hodie manumittere ex ætate quis poteſt, qua teſtamentum facere. *Novell. 119. cap.* 2. & ita hæc lex & *l. 102. ff. de leg.* 1. abrogantur. 32 Id eſt, ſervos. 33 Alteri ſcil. idque venditionis imaginariæ cauſa, ut emptor eos poſtea manumitteret. hoc itaque innuit, minorem per interpoſitas perſonas manumittere non poſſe. *l. 4. ff. de ſervis exportandis.* 34 *Sine conſilio*, Revarrius. 35 Qua ætate quis manumittere poſſit. 36 Cafus eſt diverſus a ſuperiore. Sunt hæc diverſa: Servum jam tum in fraudem fiſci manumittere: & ſervum ea lege emere, ut eum mox manumittas. Prius non licet, *ut hic*, licet poſterius. *l. 45. §. 3. ff. de jure fiſci.* 37 Venditori. **τῷ πράσει.** ita legum Græci, teſte Cujacio *hic & in l. 83. ff. de verb. ſign.* ſic ſentio, in hac lege mutari nihil etiam poſſe, ut hoc velle videatur imperator: licere fiſci debitori emere mancipium, ut manumittat, *l. 45. §. 3. ff. de jure fiſci.* Alias interpretationes vide apud Accurt. & Cuj. *hic.* 38 Id eſt, emptus. 39 Fruſtra libertas a tutore ſervo pupilli fui datur, licet ſervo ea debetur. *l. 13. ff. de manum.* ut hanc particulam referas ad vocem *debitam*, *l. h. t.* quaſi dicat, *neque debitam*, alioquin ineptum eſt dici, neque fideicommiſſariam, neque directam libertatem a tutore præſtari. directa namque libertas non a tutore, ſed a defuncto præſtatur. Quid ſi voluntate pupilli manumiſit? Cujac. 14. *obſerv.* 33. putat recte manumiſſum. Nam ſi ſervum patris, conſentiente patre, filius poteſt manumittere. *l. 16. l. 22. ff. de manumiſſionibus. l. 4. l. 25. ff. de manumiſſ. vindict.* Cur non & ſervum pupilli tutor manumittet conſentiente pupillo? Eſt enim tutor domini loco: tutor & pupillus unus, pater & filius, unus: & ambo quaſi unus. Nec alia etiam ratione curator furioſi ſervum ejus manumittere non poteſt, quam quod nullus ſit furioſi conſenſus. vide reliqua apud eundem. 41 In fideicommiſſariis libertatibus fraus confideratur ex eventu tantum, & ita lex Ælia Sentia locum in fideicommiſſariis libertatibus non habet, ſed in directis tantum.

42 In perpetua vincula damnati. *l. 1. ff. h. t.* teſtamento prohibiti manumiſſi. *l. 2. ff. h. t.* 43 *Antonius & Verus AA.* vel ita legendum eſt, *Antonius A.* & hæc ſententia Papiniano tribuitur in *l. Fratres imperatores. §. ff. de pœnis.* 44 Legendum eſt *Prius*, alias Claudius centum annis ſenior, non fuerit horum imperatorum pater. 45 Damnati in perpetua vincula manumitti non poſſunt, aliud ergo fuerit, ſi in temporaria vincula damnati. 46 Damnatus in temporaria vincula, non eſt ſervus, ſed manet in poteſtate dominoque ejus, cujus fuit, antequam damnaretur. Quid ſi in perpetua? idem dicendum in *l. §. in fin. ff. de pœnis.* 47 *Dal. 16. Kal. Jul. ipſo Antonino & Vero AA. Conſulibus*: Cujacius hic. 48 Pœnæ cauſa manumitti a teſtatore vetitus, nullo modo poteſt manumitti: *l. 4. §. 9. ff. de manumiſſ. l. ult. §. de rebus alienis*: his adde & cum quis ita ventis ne manumitteretur. *§. ſi manumiſ. ita ſuer.*

vitutem male meritis ſervis irrogare, ut nec per ſuppoſitum emptorem ad libertatem perduci poſſint.

TIT. XIII.

PRO QUIBUS CAUSIS SERVI PRO PRÆMIO [1] LIBERTATEM ACCIPIUNT.

Cæde domini indicata.

1. Impp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. Firmino [ſervo].

QUoniam [2] religioſa ſolicitudo ad augendam, provocandamque fidei obſervationem, juris præmio adhici debet, ſi ad ulciſcendam cædem [3] domini incorruptis probationibus, ac ſtrenuo niſu conſtiteris: libertatem [4] quam his, qui dominorum cædem vindicant [5], jampridem Senatusconſultis [6], & Statutis Principum præſtari ſancitum eſt, etiam tu pro tam ingentibus meritis, non ex ipſo facto, ſed aditione & ſententia Præſidis reportabis. PP. 7. Id. Decembr. & MAX. CONSS.

Monetæ adulteris delatis.

2. Imp. CONSTANTINUS A. ad Januarium.

SErvi, qui *Monetarios* [7] adulterinam monetam clandeſtinis ſceleribus exercentes, in publicum detulerint, civitate Romana donentur, ut eorum domini pretium a fiſco percipiant. Dat. 15. Kal. Decembr. *Romæ*, CRISPO II. & CONSTANTINO II. CC. CONSS. 321.

Raptus virginis crimine delato.

3. Idem A. ad populum.

SI quis ſervus *Raptus* [8] [virginis] facinus diſſimulatione præteritum, aut pactione transmiſſum, detulerit in publicum: libertate donetur. Dat. Prid. Kal. April. *Aquil.* CONSTANTIN. A. VI. & CONSTANTIO C. CONSS. 320.

Desertore militiæ prodito.

4. Imppp. GRATIANUS, VALENTINIANUS, & THEODOSIUS, AAA. ad Syagrium P. P.

SI *Desertorem* [9] militiæ ſervus prodiderit, libertate donetur. * Id. Jul. *Romæ.*

TIT. XIV.

DE INGENUIS MANUMISSIS.

Ingenuus teſtamento manumiſſus non efficitur libertinus: & tamen tenetur manumittenti veſtituere quicquid de ejus domo, vel ejus contemplatione meruit. Bald.

1. Imp. ALEXAND. A. Phileto.

SI ingenuum te ex teſtamento manumiſſum eſſe dicas: apud ſuos judices cauſam agere debes, ſi tamen juſtum [10] contradictorem habes, id eſt, eum, qui ſe patronum tuum eſſe dicit: memor ſenatum conſuliſſe, ut qui poſt manumiſſionem originem repetierint, ea, quæ de domo manumiſſoris habent, ibi relinquant [11]. In qua cauſa etiam legata, ut liberto data eſſe, juris prudentibus placuit.

Obſequia ſervitutis non faciunt ingenuum ſervum. Salic.

2. Imp. GORDIANUS A. Pompejæ.

INgenuam natam, neque nutrimentorum ſumptus [12], neque ſervitutis obſequium [13] faciunt ancillam, neque manumiſſio [14] libertinam. PP. 5. Id. Maji, SABINO II. & VENUSTO CONSS.

Si manumiſſa eſt, poſtea ex antiqua cauſa pronunciata ingenua, liberi ante nati probantur ingenui. Salic.

3. Imp. PHILIPPUS A. Feliciſſimo.

SI aviam tuam uti ancillam manumiſſam [15], poſtea ingenuam [eſſe] ſolenniter conſtiterit, ſtatumque ejus juſtæ ſententiæ tuetur auctoritas: filios ejus, quamvis ante ſententiam ſuſceptos, ingenuam libertatem non immerito flagitare, ſi cum peritioribus [16] tractatum habuiſſes, facile cognoſceres.

In hoſtilitate inter duas civitates conſiſtente captus, non efficitur ſervus.

4. Impp. DIOCLET. & MAXIMIANUS AA. & CC. Agrippæ.

CUm cognatum tuum ingenuum [17] natum [ex] Palmyrenæ [18] factionis dominatione redemptum [19], velut [20] captivum diſtractum eſſe dicas, Præſes provinciæ ingenuitati ſuæ reddi eum efficiet.

1 Sine manumiſſione. *facit l. 40. ff. §. & 28. Eclog. l. ex tit. 18. cap. 1. ſil.* 822. 2 Servus qui domini cædem indicavit, ad libertatem pervenit: velut pro præmio indicii, libertate ei conceſſa præſide liberum eſſe pronunciante, *ut hic. & Synopſis Baſil.* 48. *ex tit.* 18. *cap.* 1. & 2. Harmen. 8. *§.* 29. 3 Id eſt, ſi necem domini ſervus indicaverit. 4 *l. 5. in fin. ff. de injur.* 5 *l. 1. §. de præſcr. imperatori. inſ.* indicant. Cujac. 18. *obſervat.* 22. & ita quoque legitur a Græcis, ὁ θεῖος **κατάμονος.** *Eclog. d. loco.* ubi etiam præmium indicii **ἐπαθλον τῆς μηνύσεως** vocant. 6 Duobus iſdemque, quorum unum eſt Silimianum, de quo *vel l. 1. ff. de SC. Silaniano.* alterum *in l. 3. §. 13. ff. d. tit.* 7 Servus reum falſæ monetæ deferens, pro præmio indicii, libertatem conſequitur, *ut hic, leg. Pramio. 5. Cod. Theod. de falſa moneta. Synopſ. Baſil. d. tit.* 18. *cap.* 2. adde *l. 1. J. de falſa moneta.* 8 Si ſervus raptum detulit, fit liber. *l. 5. in fin. ff. ad legem Jul. de vi publ. Synopſis d. tit.* 18. *cap.* 3. 9 Si ſervus defertorem militiæ indicavit, fit liber. adde *l. 1. J. de defertoribus. Synopſis d. capite* 2. *in fine.* 10 *l. 1. ff. ſi ingenuus. l. 3. ff. de colluſione.* 11 *l. 3. §. 1. ff. ſi ingenuus.* 12 *l. 3. J. de inſ antibus expoſitis.* 13 *l. 11. J. h. t. l. 10. §. 2. J. de liberalib. l. 3. §. de ſervis reſpub. l. 22. §. de prob.* 14 *l. 3. J. h. t.* vide *l. 3. §. de vindict. libertat.* 15 *leg. 2. ſupr. h. t.* 16 Peritiores conſulendi. 17 **Ingenuum**, *factum ex Palmyrena faſtionis velut captivum, diſtractum &c.* Cujacius ita rectiſſime emendat. 18. *obſ.* 22. 18 Mortuo ſcil. ſub Gallieno, Valeriano ab Odenato Palmyrenorum rege. *Vopiſc. Trebell. Pollio* (ſeu, ut Sextus Rufus ait, Dexippus) *& Zonoſius* de ejus uxore, quam devixit Aurelianus: his adde quæ de tyrannide Baſſiſci, & Aviidii Caſſii dixi ad *l. 16. §. de ſacroſ. eccleſ.* 19 Ingenuus, qui ex Odenati vel Zenobiæ tyrannide redemptus fuit, retinetur quidem veluti jure pignoris: non tamen recte diſtrahitur velut captivus, eaque diſtractio ingenuitati ejus nihil præjudicat. *facit l. 12. J. h. t.* 20 Recte hoc additum eſt. Nam facto, rebellio vel bellum civile captivum non faciunt. *l. 21. in fin. ff. de captivis.* 21 Vide repetitionem Blanceri ad hanc legem. *Goth.* Adde Sarmient. *lib. 1. c. 2.* Rinſchot. *Reſp. 19. num.* 19. An citatio facta ex hac lege inducat litis pendentiam, vid. Zanger. *de Except. part. 2. cap. 13. num.* 14. *& ſeqq.* Ant. 22 In hanc legem ſcripſit Cagnolus, præter quem vide Philip. Portium *lib. 4. conſuſ.* 159. Molinæum *de divid. & individ. part. 2. n.* 6. Covarruvium *lib. 1. variar. reſolut. cap.* 18. Mſi. 23 Quid, comperens judex in hypotheſi ſeu ſpecie hujus conſtitutionis, quis ſeturas eſt? Quidam diſſamantis judicem putant judicem fore. *argum. l. furti manifeſti.*

nem. 2. ff. de juriſdictione. leg. ult. T. ubi in rem actio. Contrariam tamen ſententiam communem magis & veriorem refert Blanerus in repetitione hujus legis, *cap. 4. num. 2.* hoc eſt, competentem judicem in hac ſpecie fore judicem diſſamati non diſſamantis. Quinimo diſſamantem ubique poſſe conveniri refert, *argum. l. 3. ff. de offic. præſid. l. 1. J. ubi de criminibus.* Alex. 5. *conſil.* 103. Cauſam hanc adferunt, quod qui ex hac lege agit, non ſit actor, ſed reus: agit enim ut alius agat, & ut ejus actionem excipiat. 24 Invitus agere nemo cogitur. *l. 1. J. ut nemo invitus. l. ult. J. de uſur. pupillarib.* nisi alium diſſamet quovis modo civiliter, *ut hic.* vel criminaliter. *l. 7. J. qui accuſ. l. 3. §. 7. ff. de re milit.* aut ſibi jus vel obligationem aliquam in fundo, domo & bonis alterius competere aſſerat. dixi quædam ad *l. 13. §. 30. ff. de act. empt.* vide Ferrar. *in formu. reſpond. libelli in actione hypothecaria* 42. *in verbis & remanſationis 10. num.* 2. vide Mynſing. 3. *obſerv.* 78. adde *l. 40. ff. ad l. Aquil.* His enim caſibus cogitur adverſarius intra certum tempus experiri, ac nihil id faciat, perpetuum ſili ſilentium a judice indicitur. 25 Miniſterium exhibitum etiam per longum tempus, ingenuum ſervum non facit. *l. 2. §. 1.* 26 *l. 3. J. de long. temp.* 27 *l. ult. J. de ſervis reip.* 28 Natalium veritas ingenuum tuetur. 29 Renuncians liti ſtatus, non fatetur omnino adverſarium ingenuum eſſe, quantumvis ipſe ſibi præjudicet. Renunciatione lites non faciunt eum ingenuum qui ingenuus non eſt. *l. 27. §. 1. ff. de liberali.* 30 Ingenui naſcuntur, libertini fiunt. *Inſt. de ingenuis.* 31 *l. 3. §. 1. ff. de ſtat.* 32 *l. 2. J. de collat. detig.* 33 Pactis aut transactionibus adſtentis & ignaratis cuiſque nemo præjudicat. 34 Vid. *l. 11. §. de oper. lib.* 35 Poſtliminio libertas recipitur. 36 Præſides cognoſcunt de cauſa libertatis. 37 Id eſt libertine, ut *§. 2.* 38 Nomina ad ſingulos recognoſcendos inventa. *l. 9. J. de liberali. §. 29. Inſt. de legat.* vide *l. ult. ſupr. de ſervis reipublicæ.* 39 Nominis mutatio non eſt evidens ſervitutis juſtæ argumentum. Non eſt igitur juſta collectio: Nomen mutavit: ergo & ſervus fuit. 40 *l. 2. l. 6. §. h. t.* 41 Vid. *l. ult. ſupr. de ſervis reipub.* 42 *l. 2. & 6. tit. §. h. t.* 43 Ingenuus operas locare poteſt. 44 Plagio abducta libertatem non amittit. facit *l. 3. & l. 2. §. h. t. l. 2. §. ubi de requirendis.* Quid ſi a plagiario vendita? ne tunc quidem libertatem amittit. *l. 11. J. ad l. Fab. de plagiariis.* Quid ſi filio plagiarii bona commiſſa? ne tunc quoque, *ut hic.* 45 Renunciaſſe libertinitatis probationi non videtur, qui ſe ingenuum dixit, nec obſtat, *ut hic.* Ad eundem modum putant, utile dominium eum etiam vindicare poſſe, qui directo ſuccubuerit. *l. 39. §. 1. ff. de evict.* & velut fiduciarium experiri poſſe, qui ut proprietarius non obtinuerit. Bal ques *hic.*

Ignoranter desponsata, ut ancilla, suæ ingenuitati non præjudicat. Salic.

14. Iidem AA. & CC. Aristoteli.

STatui ingenuæ ex eo solo, quod velut ancilla sponsaliorum [1] nomine data proponitur, præjudicari nulla ratione potest. S. 7. Kal. Januar.

TIT. XV.

COMMUNIA [2] DE MANUMISSIONIBUS.

Si proprietarius, & usufructuarius simul libertatem servo imponant; pleno jure liber efficitur. Salic.

1. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

SAncimus, si proprietarius servo, cujus usufructus ad alium pertinebat, libertatem imposuerit, non secundum antiquam [3] observationem [4], & libertate carere, & eum sine [5] domino esse intelligi: sed nec inveniri personam, cui res ad se venientes acquirat. Sed si tam proprietarius, quam usufructuarius libertatem ei [consentientes [6]] imposuerint, pleno jure liberum [eum] effici: & si quid postea [sibi] acquisierit, hoc in bonis suis habere. Sin autem proprietarius solus libertatem imposuerit, usufructuario [7] minime consentiente: sit quidem ille, qui libertatem a proprietario accepit, inter libertos proprietarii connumeratus: & si quid in medio possidet, hoc sibi acquirat, sibique habeat, & suæ posteritati relinquat salvo patronatus jure, per omnia custodiendo, nisi & hoc ei legibus fuerit remissum. Ipse tamen libertus, quasi [8] servus apud usufructuarium permaneat, donec usufructuarius vivit, vel usufructus legitimo modo peremptus est. Etenim si finem usufructus quocunque modo accipiat: tunc facultas ei tribuatur, quo maluerit degere modo. Si vero adhuc superstite usufructuario ab hac luce fuerit libertus exemtus: hereditas ejus legitimum tramitem sequatur. Sin autem usufructuarius [9] tantummodo libertatem imposuerit: siquidem hoc modo, ut cedat usumfructum proprietario: plenissimum jus habeat in servo proprietarius: ut omnia ei servus acquirat secundum ea quæ generaliter in servos, & dominos constituta sunt. Sin vero gratias agendo usufructuarius eum ab usufructu liberaverit, & libertate donaverit: tunc maneat quidem servus proprietario suo annexus: sed non [10] necessitas ei imponatur, donec vivit usufructuarius, vel usufructus constare potest, observare proprietarium, & quædam ministeria [ei] adimplere, sed Judices nostri eum in quiete tueantur. Post usufructuarii autem mortem, vel usufructus quocunque modo interemptionem: tunc serviat quidem domino, & omnia, quæ in medio ad eum pervenerint, hæc suo domino acquirat. Et sit ex nostra constitutione hæc separatio inter servos & liberos: & non secundum jus antiquum idem servus remaneat, & nullum respiciat dominum.

Parentes possiunt manumittere per filios cujuscunque sexus, etiamsi non sint in potestate. Salic.

§. 1. Illud quoque huic legi adjicimus, ut explosa antiqua personarum [11] differentia, liceat parentibus tam masculis, quam fœminis, filiis, filiabusve suis in sacris constitutis, sive emancipatis, cujuscunque gradus, mandatum [12] imponere, quatenus servos in libertatem perducant, sive [13] apud Judicem, sive in sacris [14] Ecclesiis [15], sive secundum alium, quem mandator voluerit legitimum modum. cum enim, & in [16] successionibus, & in aliis pene omnibus nulla est inter liberos discretio: oportet hoc observari, & in præsenti casu, maxime pro [17] libertate quam & favere, & tueri Romanis legibus, & præcipue nostro nomini peculiare est. Dat. 15. Kal. April. LAMPADIO & ORESTE CONSS. 530.

Potest manumitti, tam in Ecclesia, quam apud judicem, vel in testamento etiam infans, vel ignorans, ut sit civis Romanus. Bald.

2. Idem A. Juliano P. P.

SI quis servo suo libertatem imponat, sive in Ecclesia [18], [sive in æde sacra], sive ad qualecunque tribunal, vel apud eum [Judicem] qui libertatem imponere legibus habet [19] licentiam, sive in testamento, vel alio ultimo elogio, directam, vel fideicommissariam; nullo coerceatur modo eorum qui ad libertatem veniunt, ætatem [20] requirere: neque enim [eum] tantummodo civitatem Romanam adipisci volumus, qui major triginta [21] annis existit: fed quemadmodum [22] in Ecclesiasticis libertatibus non est hujus ætatis differentia, ita in omnibus libertatibus quæ a dominis imponuntur, sive extremis dispositionibus, sive per Judices, vel alio legitimo modo hoc observari sancimus, ut sint omnes cives Romani constituti: ampliandam [23] enim [magis] civitatem nostram, quam minuendam esse censemus.

Si existens sine uxore ancillam propriam in concubinam habeat, & de ejus vel sobolis libertate, vel servitute nihil disposuerit, ad libertatem post ejus mortem perducuntur. Salic.

3. Idem A. Joanni P. P.

SI quis sine uxore constitutus, ancillam suam [24] [sub] nomine habeat concubinæ, & in eadem usque ad mortem suam consuetudine permanserit, & forsitan liberos ex ea sustulerit, sanctimus omnimodo non concedi heredibus defuncti eandem, vel liberos ejus, si etiam liberos habuerit, in servitutem deducere, sed post mortem domini sub certo modo eripiatur in libertatem una cum sobole sua, si etiam eam forsitan habuerit. Ipsi etenim domino, dum superest, damus licentiam quomodo voluerit uti tam ancilla sua, quam etiam ex ea progenita sobole, [&] in suo ultimo elogio quidquid voluerit contra eos disponere, id est, quasi servos eos aliis legare, sive in servitutem heredum nominatim relinquere. Sin autem taciturnitate [25] eos præterierit, tunc post mortem ejus ad libertatem eripiantur: ut sit mors domini, libertatis eorum exordium. Hominibus etenim uxores [26] habentibus concubinas, vel libertas [27], vel ancillas habere, nec sanctiqua jura, nec nostra concedunt. Dat. Kalend. Nov. *Constantinop.* post consulatum LAMPADII & ORESTIS 531.

TIT. XVI.

DE LIBERALI CAUSA [28].

De eo, qui filios vendidit.

1. Imp. ANTONINUS A. Saturnino.

REm quidem illicitam [29], & inhonestam admisisse te confiteris, quia proponis *filios ingenuos a te venundatos.* Sed quia factum [30] tuum filiis obesse non debet, adi competentem judicem, (si vis) ut causa agatur secundum ordinem [31] juris. PP. 5. Idib. Februar. *

De exceptione rei judicatæ.

2. Idem A. Veroniano.

SI hi, quos *servos tuos esse* dicis, liberi esse a diversa parte dicentur, de statu eorum more solito quæri oportet: nec enim res judicata [32] qua de proprietate [33] eorum pronunciatum est, opponi causæ liberali potest. Dat. Non. Febr. *Romæ*, MESSALA, & SABINO CONSS. 215.

Si liber homo alienæ ancillæ contubernium sequatur.

3. Imp. ALEXAND. A. Quirino.

SI liber homo alienæ [34] ancillæ contubernium sequatur: licet di fuerit denunciatum [35] *ut se abstineret*, servus domini mulieris non [36] fit. PP. Non. Februar. FUSCO & DEXTRO CONSS. 226.

De re judicata.

4. Idem A. Jucundo.

SI is, *quem in servitutem petebas*, liber (quamvis absente [37] te) causa cognita pronunciatus est: secunda in servitutem petitio ejus dari tibi non debet. Sed si postea, quam cognovisti [38], de sententia judicis appellasti, an jure lata sit, in auditorio [39] quæretur.

De vendita a fisco, & de onere probationis.

5. Idem A. Sabino.

NOn ideo minus in libertatem proclamare potest ea, *quam ancillam tuam esse dicis*, quod eam vendente fisco [40] comparasti. Sed [41] nec hodie ad præscriptionem operatur, quod venditionis tempore major viginti annis fuerit: cum ætatis allegatio non [42] alias pollit præscriptionem adversus civem Romanum accommodare, quam si participandi [43] pretii gratia consensum servituti dedisse probetur. † Probationis [44] sane onus, cum ex servitute in libertatem adseritur, ad se recipit: quæ si affirmationem suam non [45] impleat, inconcussum possessionis jus obtinebis.

De eo, qui scripsit se servum esse.

6. Imppp. VALER. & GALLIEN. AA. & VALER. A. Nobilissimus Cæs. Verfimeno.

NEc si volens scripsisses [46] *servum te esse*, *non liberum*, præjudicium juri tuo aliquod comparasses: quanto [nunc] magis, cum eam scripturam dare compulsum [47] te esse testaris?

Si heres veniat contra factum defuncti.

7. Imp. AURELIANUS A. Secundo.

SI ab eo, cujus servus fuisti, manumissus es: frustra libertatis controversiam sustines, maxime [48] ab herede ejus, qui [re] manumisit: cum etsi jure [49] libertas non processerit, respectu tamen aditæ hereditatis voluntatem defuncti, suo consensu firmare debuit.

1 Vide *l. 16. infr. de lib. caus.* adde *supr. si reflor provincia.*

2 Possis dicere, κοινὰ τὰ κοινά. Hujus enim tituli constitutiones ad omne genus manumissionis referuntur: His denique Justiniani novis constitutionibus vetus jus abrogatur. 3 Nota jus vetus receptum in servis a proprietario manumissis.

4 Id est, ut ab antiquis statutum erat. Upian. l. 9. §. 1. 5 *l. 23. ff. de liberali causa.* 6 De servo consentiente proprietario simul & usufructuario manumisso, vid. *l. 15. ff. quibus mod. usufructus.* adde *l. 6. ff. de nonumenti. testament.* 7 De servo a nudo proprietario manumisso. 8 Servus manumissus a proprietario, liber fit, & tamen servit usufructuario. Quo jure id fieri posse dixeris? servit ut liber. *l. 11. supr. de ingenuis.* Multum differunt, servum esse & servire. Illud juris est; hoc facti. 9 De servo a nudo usufructuario manumisso, adde *l. 2. ff. de manumiss. vindict. l. 9. supr. de usufruct.* 10 Manumissus ab usufructuario non est liber, nec tamen servit proprietario. 11 Olim filiusfamilias justu patris manumittere poterat: justu matris non poterat. Paul. 1. *sentent.* 13. §. 2. per emancipatos etiam non potuerat manumittere, *ut hic* Thalelæus notat: per suos poterat. *l. 11. in fin. ff. de rit. l. 30. §. 1. ff. qui & a quib. manumiss. l. 13. ff. de jure patron. l. 16. l. 22. ff. de manumiss. l. 4. l. 10. l. 22. ff. de manumiss. vindict.* hodie jus aliud est, ut mox dicetur. 12 Parentes possunt servos manumittere per liberos cujuscunque sexus: etiam si non sint in potestate. 13 Manumissiones non tantum fiunt apud judicem, vel in Ecclesiis, sed & alio quovis modo, hoc est, testamento, codicillis, directo, vel per fideicommissum. 14 *supr. de his qui in Ecclesiis manumittuntur.* vide *Concilium Africanum 1.* 15 *l. 2. infr. h. t.* 16 In successionibus nulla est inter liberos discretio. 17 Libertas a lege & Principe defenditur. 18 *l. 1. in fin. supr. h. t. & supr. de his qui in eccles. manumitt.* 19 *l. 4. supr. de venditt.* 20 Infans etiam manumitti potest. *l. 25. ff. de manumiss.* Imo & is qui est in utero. *l. 14. supr. de statu. libert.* 21 Olim ætas hæc erat legitima civitatis Romanæ adipiscendæ: & servus ante hanc ætatem manumissus, non fiebat civis, sed Latinus, Dicoph. *Instit. de libert.* Utp. 1. §. 12. *l. 39. §. 2. ff. famil.* adde *l. ult. ff. de reb. dubiis. l. 46. ff. de manumiss. testam. l. 13. in fin. ff. de ff. allimb.* 22 Extenso juris ecclesiastici ad commune. 23 Ampliandæ magis respublica, quam minuendæ. 24 Ancilla domini concubina ejusque liberi, morte & silentio domini fiunt liberi. adde *Novell. 78. c. 4.* 25 Silentio libertas conferri potest. 26 Concubinam uxori superducere non licet. vid. *l. un. supr. de concub.* 27 *Al.* liberas.

28 *L. 40. D. 12. & 4. C. Theod. 8. Paul. 5. sent. 1.* 29 Res illicita & inhonesta patri, liberos ingenuos ventre vid. *l. 1. §. de patribus qui filios suos distraxerunt:* adde *l. 26. 3. de transactionib.* adde Paul. 5. *sent. 1. §. 1.* 30 Pater venditos a se filios invito emptore, oblato tamen pretio, posset evincere: ut ita facti sui, alieno invito, pœnitere & a contractu suo recedere, fuumque factum retractare interdum ipsi possit: qui casus specialis est. 31 Per adfertorem. Hodie assertionis solennes sublata. *l. 1. infr. de assert. tollend.* 32 *l. 25. §. 1. ff. h. t.* 33 Alia est proprietatis causa, alia libertatis. 34 Contubernio ancillæ alienæ, liber homo non transit in alterius dominium. 35 Protestatio jure non munita, nullam vim obtinet. *Bald.* 36 Vid. *l. 1. infr. de SC. Claudiano.* 37 Sententia liberalis ferri potest absente parte: potest tamen ab ea appellari. 38 Tempus appellationi interponendæ non currit ignoranti. *l. 3. infr. quando & quando judex.* 39 Causæ appellationum in auditoriis pensantur. 40 Vendita mulier, etiam a fisco, in libertatem proclamare potest. 41 Ratio dubitandi. 42 *l. 7. ff. h. t. l. ff. quib. ad libert. proclamare.* Ex constitutione Leonis 69. liber homo febrium vendere non potest, etiam participandi pretii causa. 43 Quemadmodum id fieri possit, dixi ad *dict. Nov. 69.* 44 Dixi ad *l. 7. 8. ult. ff. h. t.* 45 *l. 4. supr. de edendo.* 46 Vide *l. 39. infr. h. t.* adde *l. 26. supr. de transact. sent. 1. §. 4.* 47 Paul. 5. 48 Cur ita? vid. *l. 31. ff. h. t. l. 3. supr. de reb. alien. l. 13. supr. ad tertull. mammiss.* 49 Directo scil. *l. 9. supr. de testam. manumiss.*

De eo, qui nummos accepit, ut manumitteret.

8. Impp. DIOCLET. & MAXIMIANUS AA. & CC. Verinæ.

CUm adfirmes placuisse quondam domino tuo, *ut pro te, & pro filia tua data* [1] *nummo certæ quantitatis vos manumitteret*, & te tantummodo liberavit: aditus Rector Provinciæ hortabitur [2] eum, salva reverentia, quam patrono liberti solent exhibere, placito suo stare. Dat. Prid. * MAXIMO II. & AQUILINO CONSS. 286.

De cognomine.

9. Iidem AA. & CC. Proculo.

CUm precum [3] tuarum conceptio licet eum, contra quem supplicas, *ex ancilla natum esse expresserit*, tamen nomini [4] cognomen, quo liberi duntaxat nuncupantur, addiderit, & non servum esse, sed servili macula adspersum comprehenderit: contra eum, qui servus non est, supplicasse te intelligis [5].

De pactis & administrationibus.

10. Iidem AA. & CC. Stratonico.

LIberos privatis pactis [6], vel actu [7] quocunque administrationis non posse mutata conditione servos fieri, certi juris est.

Si servus honores gesserit.

11. Iidem AA. & CC. Faustino.

NOn [8] mutant servi statum, si ad civiles honores illicite, atque improbe adspiraverint. Unde si status moveatur quæstio, intelligere vobis licet, nihil prodesse posse, quod [9] pater vester civiles honores gessit. Solemnibus itaque ordinatis, apud Præsidem Provinciæ de statu vestro cognoscetur.

De venditione.

12. Iidem AA. & CC. Proculo.

SI [ex] liberta te natum aliquis comparaverit [10]: statum retines, quem antea habuisti. † Si vero ex ancilla editum naturalis pater, idemque dominus distraxerit, ac post emptori pretium solvisti: non idcirco libertatem consecutus es [11]. PP. 18. Kalend. Maji.

De statu defuncti.

13. Iidem AA. & CC. Paulo.

PRincipaliter de [12] statu defuncti agi non potest. Si vero ex peculio quondam ejus, quem tu bona reliquisse commemoras, res vindicentur, vel ejus filiis moveatur status quæstio: hæc omnia solenniter Præsidali [13] notione decidi debent. Dat. 5. Kalend. Maji.

De effectu litis ordinatæ.

14. Iidem AA. & CC. Quintiano.

LIte ordinata [14], in possessione libertatis, is, de cujus libertate quæritur, constituitur, & interim pro libero habetur. Dat. 4. Kalend. Maji, *Heraclea*, AA. CONSS.

De probationibus.

15. Iidem AA. & CC. Palladio.

NEc omissa professio [15] probationem generis excludit, nec falsa simulatio veritatem [16] minuit. Cum itaque ad [17] examinationem veri, omnis jure prodita debeat admitti probatio: aditus Præses Provinciæ, solennibus ordinatis, prout juris ratio patitur, causam liberalem inter vos decidi providebit.

De minore in dotem data.

16. Iidem AA. & CC. Diogeniæ.

SI ministerium [18] tuum quasi libera exhibuisti; ac te nesciente quasi ancilla in dotem data, conscriptum instrumentum est: nihil hæc libertati tuæ nocere potuerunt: maxime cum te minorem ætate fuisse commemores, & placuerit minores [19] quibusdam annis nulla ratione mutare statum [posse,] ac pro liberis servos fieri: ne ante [20] libertatem inconsulte amittant, quam alii propter ætatis rationem sine consilio præstare non possunt. PP. 6. Id. Maji, *Hadriano*. AA. CONSS.

Si quibusdam ex pluribus fratribus quæstio moveatur.

17. Iidem AA. & CC. Refino.

MUltis rationibus natalibus ingenuis fratribus natis, post delictis, vel casibus intervenientibus, singulorum causæ status separantur. Nihil itaque prohibet eundem, & tibi non [21] movere quæstionem [status] & eos, quos fratres tuos adsereras, in servitutem vindicare, sive retinere. Igitur ad demonstrandam fratrum tuorum libertatem, aliæ sunt probationes necessariæ: nam quod [22] tibi non moveatur quæstio libertatis, eorum non idoneam constat habere probationem.

De locatione.

18. Iidem AA. & CC. Zotico.

AD probationem ingenuitatis ab eo, contra cujus successores postulas, facta tibi [23] locatio non sufficit: nec [24] tamen hoc solum ad servitutis vinculum argumentum est idoneum. S. Id. Jul. *Philippopol.* AA. CONSS.

Si ab alio manumissus, ab alio servus dicatur.

19. Iidem AA. & CC. Paulo.

PRincipaliter causam ejus, de quo supplicas, esse, quam tuam perspicimus: nam cum te eum ad libertatem perduxisse profitearis, illius interest [25] magis solenniter suum tueri statum: & consequenter [26] tua etiam agetur causa: nam si ab eo contra quem fundis preces, servus dicatur, eique libertas ex manumissione tua vindicetur: probatio servitutis originis, & beneficium manumissionis libertatem illi adsignans, tuum etiam jus patronatus tuetur. Si vero consentiat servituti, tunc jure concesso, adito Præside Provinciæ, eum invitum etiam defendere poteris.

De libertate non revocanda. De his quæ non manumittendi causa fiunt.

20. Iidem AA. & CC. Æternali.

SIcut [27] semel præstitam libertatem revocari [28] non licet: sic per ea quæ non [29] manumittendi causa domini cum servis [propriis] agunt, nihil sibi detrahunt. S. 6. Kal. Septembr. AA. CONSS.

Esse in possessione servitutis vel libertatis.

21. Iidem AA. & CC. Thrasyllæ.

EAm, quæ in possessione [30] libertatis non sine dolo [31] malo reperitur, in servitute constitutæ simile [32] habere præjudicium, Edicto Perpetuo cavetur. [Sed] si controversia erit, utrum ex servitute in libertatem petatur, an ex libertate in servitutem, sui [33] concepcione manifeste probatur: nec quicquam juris ancillæ dolus propriis dominis aufert. S. Non. Octobr. *Sirmii*, AA. CONSS.

De natalibus, & de confessione.

22. Iidem AA. & CC. Pardalæ.

PArentes, natales [34], non confessio adsignat. Quapropter si ex ancilla nata, post ad libertatem manumissa pervenisti: te [35] *servum professa* [36] velut ex ancilla altera natam, hujusmodi simulatione [37] vel errore quæritam manumissione libertatem amittere minime potuisti: cum servi [38] nascantur ratione certa, non confessione constituantur. Dat. 5. Kal. Decembr. AA. CONSS.

De obsequio præstito.

23. Iidem AA. & CC. Muscliæ.

SI tibi testamento directa libertas a domino relicta est, & ex eo successerunt scriptæ [filiæ] [39]: non idcirco quod secundum ejus voluntatem, vel contra, de filiabus [40] uni præstas obsequium [41], cæteræ filiæ tuam rescindere possunt libertatem.

De confessione apud acta.

24. Iidem AA. & CC. Sebastiano.

INterrogatam, & professam apud acta *se esse ancillam*, hujusmodi factum defensionem libertatis non excludit [42].

De instrumentis manumissionis.

25. Iidem AA. & CC. Licentiano.

SIcut instrumenta [43] prætermissa [44] manumissionis recte factæ nullum adferunt præstitæ libertati præjudicium [45]: ita si servum ad libertatem perduxisti, instrumentorum amissio nihil ei nocere potest. S. 5. Id. Februar. CC. CONSS.

1 Id est, data summa aliqua pecuniæ. 2 Hortandus est dominus, ut servet pactum cum servo suo habitum. vid. *l. 9. in fin. supr. de cond. ob caus.* 2. *Feud. tit.* Id est, cogendus est moderate, ut hortationi nonnihil fit immistum necessitatis. Idoque Græci fic legunt, ἀναγκάζεται. 3 Confessioni & libello supplicantis in ejus præjudicium, non in favorem statur. 4 Cognomen liberis hominibus usurpare licuit, servis non licuit, sic apud Athenienses decreto sanctum fuit: Ne fortissimorum virorum nomina, Harmodii scil. & Aristogitonis, qui libertatis recuperandæ gratia Hippiam tyrannum interficere adorti erant, unquam servis indere liceret. Netas enim ducebant nomina libertati patriæ devota, servili conangio pollui. Gell. 9. *cap.* 2. Hinc etiam colligitur, Libertos nomen patroni assumpsisse, suoque (quod unicum ante habebant) cum prænomine adjunxisse. Eo alludens Persius, *verterit*, inquit, *hunc dominus, momento turbinis exit Marcus Dama.* Idem testatur Artemidorus *lib. de somniis.* 5 Contrarius sibi ipsi edictis non auditur. vid. Oldendorp. *cap. 7. n. 1. de testimon.* 6 *l. 37. ff. h. t.* Goth. Ad hanc legem vid. Alcias. *lib. 2. paradox. cap. 5.* Augustin. *lib. 3. emendat. c. 8.* Cujac. *lib. 5. obs. c. 20. S. 1.* 7 *l. 2. supr. de ingenuis manumiss.* Cujacius legit, *vel actu cujuscunque admissi rationem*, ita quoque Græci legunt. 8 *l. 28. l. 38. §. 1. h. t. l. 10. supr. de probat. l. ult. §. de patribus qui filios suos distraxerunt:* adde *l. 26. 3. de transactionib.* adde Paul. 5. *sent. 1. §. 1.* 9 Pater venditos a se filios invito emptore, oblato tamen pretio, posset evincere: ut ita facti sui, alieno invito, pœnitere & a contractu suo recedere, fuumque factum retractare interdum ipsi possit: qui casus specialis est. 10 Per adfertorem. Hodie assertionis solennes sublata. *l. 1. infr. de assert. tollend.* 11 Ita *l. 25. §. 1. ff. h. t.* 12 Alia est proprietatis causa, alia libertatis. 13 Contubernio ancillæ alienæ, liber homo non transit in alterius dominium. 14 Protestatio jure non munita, nullam vim obtinet. *Bald.* 15 Vid. *l. 1. infr. de SC. Claudiano.* 16 Sententia liberalis ferri potest absente parte: potest tamen ab ea appellari. 17 Tempus appellationi interponendæ non currit ignoranti. *l. 3. infr. quando & quando judex.* 18 Causæ appellationum in auditoriis pensantur. 19 Vendita mulier, etiam a fisco, in libertatem proclamare potest. 20 Ratio dubitandi. 21 *l. 7. ff. h. t. l. ff. quib. ad libert. proclamare.* Ex constitutione Leonis 69. liber homo febrium vendere non potest, etiam participandi pretii causa. 22 Quemadmodum id fieri possit, dixi ad *dict. Nov. 69.* 23 Dixi ad *l. 7. 8. ult. ff. h. t.* 24 *l. 4. supr. de edendo.* 25 Vide *l. 39. infr. h. t.* adde *l. 26. supr. de transact. sent. 1. §. 4.* 26 Cur ita? vid. *l. 31. ff. h. t. l. 3. supr. de reb. alien. l. 13. supr. ad tertull. mammiss.* 27 Directo scil. *l. 9. supr. de testam. manumiss.* 28 Etiamsi servus rem aliquam a domino conduxit, non ideo fit liber. 29 Facit *l. 22. supr. de probat.* 30 Causa dicitur principaliter pertinere ad eum cujus magis interest. *Bald.* facit *lex 3. 4. 5. ff. eodem.* 31 *d. l. 4.* 32 Semel præstita fervo a domino libertas, amplius ab eodem domino revocari non potest, *ut hic. Synnf. Basil.* 48. *tit. 20. cap. 20.* Nihil difficilius revocatæ quam libertas. *l. 26. infr. h. t.* 29 Vid. *l. 24. §. 8. ff. de fideicommiss. libert. l. 17. §. 1. ff. qui & a quib. manum.* 30 *l. 13. supr. h. t. l. 4. supr. ubi caus. stat.* 31 *l. 7. §. 1. vers. Etsi ff. h. t. l. 15. supr. de prob.* 32 Paria sunt in servitute constituum esse, & dolo malo in possessione libertatis esse. 33 *l. 22. in fin. J. de evict.* 34 Parens is proprie est ac vere, ex quo nos genitl, non qui nos filios acilleros appellat. Parentem enim natales facient, non confessio, *ut hic.* hac ratione fervi nascuntur: confessione non constituuntur. *in fin. infr. eodem.* Quod autem hic dicuntur *natales nobis parentem assignare*, nihil aliud est, quam nos eam sortiri conditionem quam parens habuit cum ei nasceremur. Cæterum non ut natalibus nostris continuo, vel liberi, vel servi dicimur: ita natalibus patris, liberi continuo videmur. *l. 10. supr. de probat.* Goth. Vid. hic. Brisson. *lib. 1. fideicomm cap. 5. S. 1.* 35 Te velut *ex altera natam ancillam, servum professa quæstionis manumissionis libertatem, hujusmodi simulatione, vel errore amittere &c.* quinam ita legunt. 36 Mutatio hæc nulli-plex. Ancilla nata ex Arethusa, manumissa est: manumissa pœtea fe ancillam quasi ex Dorcade confessa est, hujusmodi confessio five simulationem vocas, five errorem, quæritam semel manumissione libertatem non cripit. 37 *l. 15. supr. h. t.* 38 Servitus confessione nuda non contrahitur, sed vel natura, *ut hic.* vel lege. 39 *Scripti*, ita legitur *in libris Basilicis.* 40 *Filiis, libri Basilicon.* 41 Ex obsequio ani hetedum præstito a fervo libertate donato, præjudicium libertati non fit. vid. *l. 2. supr. h. t.* 42 Si modo metu & impressione alicujus terroris confessio apud acta facta fit. Paul. 5. *sentent.* 1. §. 4. alias confessio apud acta præjudicat, donec contrarium probetur. 43 Facit *lex 10. in fin. supr. de fide instr. l. 14. supr. de jure dotium.* 44 Mos fuit, apud veteres manumissis instrumenta manumissionis tradere, *ut hic, & l. 26. J. h. t.* eadem fi tus instrumenta appellari puto *in l. 8. §. 1. ff. quod met. caus.* 45 *Verum*: quidam ita legunt, eamque lectionem Græci probant, apud quos legitur ἀκύρωτον. Cujac. 18. *obs.* 22.